



**R. P. Francisci Svarez Granatensis, E Societate Iesv
Doctoris Theologi; Et In Conimbricensi Academia
Sacrarvm Litterarvm Olim Primarii Professoris Emeriti De
Divina Gratia Pars ...**

Continens Libros III. IV. Et V. De Avxiliis Gratiae In Generali, De Avxilio
Svfficiente, Et De Avxilio efficaci Gratiae Dei

Suárez, Francisco

Mogvntiae, 1652

XXIII. Quid sit gratia præueniens, comitans, & subsequens, & quomodo ad
excitantem, & aliuuantem comperentur.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94118](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94118)

Etiam intelligatur voluntas intendens, per perfectam, voluntas vtens, & exequens, in primis incredibile est propositum seruandi mandata absolutum, & vniuersale vocari ab Aug. voluntatem imperfectam. Deinde etiam est incredibile, sensisse Augustinum talem actum fieri sine gratia cooperante, cum in c. 16. dicat petendum esse à Deo, vt tantum velimus, quantum necesse est, vt volendo faciamus.

7.
Parua &
simplex af-
fectio e-
fectio autē
volitio li-
bera.

Videtur ergo illa faciliior, & expeditior intelligentia, vt voluntas parua dicatur illa simplex affectio, quam Deus per gratiam excitantem, quæ est etiam purè operans, solet immittere: voluntas autē perfectā sit volitio libera, quæ nō dicitur perfectā, quia in se, & absolute semper talis sit, sed solam comparatione prioris, in qua gratia solū operatur, & nondum voluntati liberæ cooperatur. Obiici verò contra hoc solet, quia Augustinus dicit, gratiam operantem facere, vt velimus, quod intelligit non solū de effectu illo indeliberato, sed etiam deliberato voluntate. Nam de hoc velle loquitur Paulus cum dicit, *Deus operatur in nobis velle*, & tamen de illo velle, ait August. heri per gratiam operantem, cum ait, *De operante, vt velimus, dictum est, qui operatur velle*. Respondetur duobus modis fieri posse per gratiam operantem, vt velimus, vno modo formaliter imperfectè, & hoc confert gratia operans per se sola, & Deus infundendo illa dicitur facere vt velimus. Et in hoc sensu videtur sumi ab Augustino cum dicit, *vt velimus sine nobis operatur*, quia de nullo libero velle id potest dici verè, vt iam ostendi. Alio modo potest gratia operans facere, vt velimus, liberè, quod non facit formaliter, sed effectiue, siue physice, siue moraliter. Et hoc vltius subdistinguentū est. Nam gratia operans, vt supra tetigi, potest esse efficacax, & inefficax, seu consequi effectum, & non consequi. Quando ergo non consequitur effectum bonæ voluntatis deliberatæ, dicitur facere, vt velimus, vtique quantum est ex se, & tunc particula, *vt velimus*, significat quidem effectum, non tamen iam factum, sed vt finem intentum per talem operantem gratiam. Et in hoc sensu, etiā est verum, Deum operari in nobis sine nobis, vt velimus, licet non consequatur effectum intentum, quia nos non cooperamur. Quando verò talis gratia coniungitur effectui liberæ volitionis, & illam causat, tunc verè dicitur efficaciter facere, vt velimus, & Deus per illam dicitur operari nostrum velle liberum, cuiuscumque gradus, vel perfectionis sit: tunc autem talis gratia non manet in ratione solius operantis, sed transit in cooperantem, quia simul cum voluntate efficit illud velle. Et ita in hoc sensu dici non potest Deum in nobis sine nobis operari, vt velimus, quia numquam inducit effectum liberæ voluntatis per solam gratiam operantem, sine cooperante, vt declarauimus.

8.
Ex illa doctrina plura
Augustini
loca expli-
cantur.

Atque hæc doctrina mihi quidem verissima videtur, & necessaria ad explicandas varias locutiones, & loca Augustini, ad quæ est cum magna discretionē, semperque attentè considerato contextu applicanda: vnde quod ad præsentem locum attinet, in vno puncto mihi non satisfacit, nimirum, quod Augustinus per paruum charitatem, vel voluntatem intellexerit solum simplicem affectum non liberum à Deo immissum. Nam certè quando Petrus Christo dixit, *Animam meam pro te ponam*, actum liberum charitatis habebat, & tamen de illo ait Augustinus habuisse paruum, & imperfectam charitatem. Concedo ergo etiam inter actus liberos charitatis, seu bonæ voluntatis, esse aliquos imperfectos variis modis supra tactis. Videtur autem Augustinus specialiter vocare dilectionem, vel voluntatem imperfectam illorum qui rectè proponunt, de quibus dixit Christus, *Qui ad tempus credunt, & in tempore temptationis recedunt*.

Luc. 8. 13.

Numquā verò dixit Augustinus, vt in obiectione supponitur, hanc voluntatem esse à sola gratia operante, sine cooperante, sed dixit. *Et quis istam esparuam dare cooperat charitatem, nisi ille, qui preparat voluntatem, & cooperando perficit, quod operando incipit*. per quæ verba voluit pungere Semipelagianos, qui dicebant quædam initia imperfecta voluntatis bonæ esse à nobis. Contra illos ergo ait, etiā initium illius parue charitatis fuisse ex Deo, qui incipit operando, & sic præparat voluntatem. Per hoc autem non excludit, quin etiam illo cooperetur in eodem actu libero, licet imperfecto, quia ex ea parte, qua liber fit, aliquam perfectionem habet, & illam sine cooperatione Dei habere non potest. Illud autem initium operantis gratiæ, dicit esse ad velle potius quàm ad operari, vel perficere, quia gratia purè operans, vel excitans primum omnium necessaria ad velle, & mediante illo potest sufficere ad faciendū, seu operandum, nisi in executione ipsa difficultas operandi crescat, tum enim noua gratia operans necessaria erit, vt homo non tantum velit, sed etiam operetur: quoties autem homo vult, vel operatur, sola operans gratia inchoat voluntatem, siue volentem, siue exequentem, neutram verò cum effectu inducit, nisi transeat in cooperantem, iuxta illud Augustini lib. de nat. & grat. cap. 31. *Operatur & nos, sed illo operante cooperamur, quia misericordia eius præuenit nos*.

Ita igitur intelligenda sunt verba, quæ in dicto cap. 17. Aug. subiungit. *Vt ergo velimus sine nobis operatur, vtique, quod initium bonæ voluntatis, quod solus Deus facit, siue voluntas consentiat, siue non, & siue vel tantum imperfectè consentiat, siue etiam perfectè. Et ita est intelligendum quod subdit. Cum autem volumus, & sic volumus vt faciamus, nobiscum cooperatur, id est, ipsemet Deus, & eius gratia operans, per quam solus in nobis operatur, vt velimus, nobiscum cooperatur cum volumus, atque etiam, cum ita volumus, vt faciamus quia vel virtus primæ gratiæ operantis, ad omnia extenditur, vel noua additur, si ad constantiam, vel perfectionem in operando necessaria sit. Et ideo dixit in cap. 16. eiusdem lib. *Certum est nos mandata seruare, si deus volumus, sed quia preparatur voluntas à Domino ab illo petendum est, vt certum velimus, quantum sufficit, vt volendo faciamus. Certum est velle, cum volumus, sed ille facit, vt velimus bonum, &c. Certum est nos facere, cum faciamus, sed ille facit, vt faciamus præbendo vires efficacissimas voluntati. Ergo & velle simpliciter (vt sic dicam) & ita velle, vt faciamus, & seruemus mandata, est à gratia cooperante, per quam facit Deus, vt velimus, & vt faciamus, quamuis ipsi velle, & facere, id est, voluntatem proponentem, & exequentem, ipse etiam nobiscum cooperetur. Denique hanc esse Augustini mentem facile intelliget, qui alia loca eius supra citata considerauerit, præsertim lib. 2. de peccator. merit. & remiss. cap. 17. 18. & 19. de spirit. & liter. cap. 34. q. 2. ad Simplicianum, & quæ in capite sequenti ex Gregorio, Bernardo & aliis afferemus, hanc doctrinam confirmant, quam ipsos ex Augustino sumpsisse nemo in dubium reuocabit.**

CAPITULUM XXIII.

Quid sit gratia præueniens, comitans, & subsequens, & quomodo ad excitantem, & adiuuantem comparentur.

Hæc quæstio eodem ferè modo, quo præcedens, breuiter expediri potest. Dico ergo primo

primò actuales gratias conuenienter illis tribus nominibus significari. Ita docent omnes Theologi, & patet primo, quia in Scriptura fit mentio harum gratiarum. Psalm. 58. *Miser cordia eius praeueniunt me*, & Psalm. 20. *Præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis*, & tamen Psalm. 22. dicitur, *Miser cordia eius subsequuntur me*. vox autem comitandi non inuenitur formaliter, in Scriptura tamen inuenitur æquiuallenter, quoties Deus adiutor noster dicitur. Et maxime significata est à Paulo 1. Corinth. 15. in illa verba. *Non ego, sed gratia Dei mecum*. nam illa particula *meum*, concomitantiam indicat. Secundo Trident. sess. 6. cap. 5. dicens verbis illis, *Conuertere nos Domine, & conuertemur*, ait nos cōfiteri gratia Dei praeueniri. Et ita ex illo loco gratiam praeuenientem colligit, de qua dicit can. 3. *Si quis sine praeueniente Spiritus sancti inspiratione*. Dum autem addit, *emissusque adiutor*, comitantem indicat, de qua & de ceteris in cap. 16. expressè dixit, quia virtus (scilicet gratia Christi) bona eorum opera semper antecedit, & comitatur, & subsequitur. Et Ecclesia in quadam Collecta orat: *Tua nos Domine gratia semper praeueniat, & sequatur*. De concomitante autem videtur intelligi quod subditur. Ac bonis operibus iugiter praestat esse intentos. Expressis vero de hoc tertio membro in alia collecta dicitur. Quos calefactis inuere, perpetuo Domine comitare praesidio, & alia ita ut asserimus, ex eadem Ecclesia, & Patribus.

Declaratur tandem ratione, quia salutem tria sunt nobis necessaria, initium salutis, consensus in uocationem, & conseruatio propositi, vel executio, vel etiam augmentum, propter initium ergo necessaria fuit gratia praeueniens: ad consensus autem addenda fuit gratia comitans, quia sine Deo adiuuante nihil possumus; ad reliqua uero necessaria fuit gratia subsequens, quia sine actuali influxu gratiae, nec progredi, nec perseverare in salute inchoata possumus, & multo minus in illa crescere. Quam ferè rationem tradidisse videtur Bernard. lib. de grat. & lib. arbit. versus finem dicens. *Sic ergo Deus ita haec (hoc est bonum cogitare, uelle, perficere) operatur in nobis, primum perfectò sine nobis, secundum nobiscum, tertium per nos facit*. Si quidem imitendo bonam cogitationem nos praeuenit imitando etiam voluntatem, sibi per consensus iungit, ministrando & consensui facultatem sibi per apertum opus nostrum interius opifex innotescit. Sane ipsi nos praeuenire nunquam possumus. Qui autem bonum neminem inuenit, neminem saluat, quem non praeuenit. A Deo ergo sine dubio nostra fit salutis exordium, neque per nos uique, nec nobiscum. Verum consensus, & opus, etsi non ex nobis, non tam tamen sine nobis.

Dico secundo gratia, quae his vocibus significatur, quatenus interna, & actualis sunt, in re non distinguuntur à gratia excitante, & adiuuante, sed connotant solum quasdam habitudines prioris, & posterioris. Sententia est communior Theologorum, eum Magistro in 2. d. 27. Prob. autem discurrendo per singulas gratias praedictas. Nam in primis Concil. Trident. sess. 6. cap. 5. excitantem gratiam praeuenientem appellat, dum ait, *exordium salutis sumi à praeueniente gratia Dei*, hoc est, inquit, ab eius uocatione. Constat autem uocationem esse excitantem gratiam. Idem colligitur ex illa oratione Ecclesiae. *Actiões nostras quæsumus Domine aspirando praeueni*. Ergo inspiratio est gratia praeueniens: inspiratio autem gratia excitans est. Et eodem modo dixit Concilium Tridentinum dicto can. si quis, sine praeueniente Spiritus sancti inspiratione. Similiterq; dixit August. lib. 2. de peccator. merit. cap. 17. & 19. Deū praeuenire nos operando in nobis sine nobis, quod facit per gratiam excitantem, ut supra uidimus. Idem habet q. 2. ad Simplicianum, & passim. Sic etiam Gregor. lib. 16. moral. cap. 11. dicit. *Si superna gratia mentem non prae-*

uenit, nunquam perfectò inueniet innocentem. Quomodo autem praeueniat, declarat, dicens. *Superna pietas prius agit aliquid in nobis sine nobis*. De comitante uero subdit. *Ut subsequente quoque nostro libero arbitrio, bonum quod appetimus, agat nobiscum*. Unde lib. 17. cap. 9. alias 8. gratiam praeuenientem dicit esse lumen diuinum, id est, illuminationem. Et lib. 18. cap. 13. alias 25. dicit, esse inspirationem diuinam. Similia reperiuntur in Bernardo supra, & in Prospero, & Anselmo locis citatis capite praecedenti.

Ratio item clara est, quia, ut statim dicam illa habitudo prioritatis, quam declarat vox praeueniens, sumi potest, vel in ordine ad consensum liberum, uel in ordine ad merita, seu bona opera, vel in ordine ad alias gratias. Omnibus autem his modis potest gratia excitans esse praeueniens, quia praecedat consensus ad quē excitat, ut per se notum est, praecedat etiam omnia merita, ut supra contra Semipelagianos probatum est. Deniq; praecedat alias gratias ex genere suo, quia in toto ordine gratiarum excitans est prima. Est ergo omnibus in modis praeueniens. Simili modo gratia comitans, eadem est quae adiuuans, de qua sub illa voce, ut supra dixi, raro loquuntur Patres, & ideo non asserimus eorum testimonia, neque sunt necessaria, quia ex Deo comitans sibi res est manifesta, quia non potest, gratia liberum arbitrium adiuuare nisi simul concurrat cum illo, & hoc est comitari illud: unde haec habitudo concomitantiae ex parte gratiae habet protermino, seu correlatiuo liberum arbitrium, seu influxum eius in eundem consensus. Quam concomitantiam optimè explicauit Bernardus in dicto libro, dicens: *Qui enim bono quod opere complent, voluntate consentiunt, opus omnino quod per eos Deus explicat, ipsis communicat*. Unde Paulus cum bona plurima quae Deus per ipsum fecerat, enarrasset, *Non autem ego, ait sed gratia Dei mecum*. potuit dicere, per me; sed quia minus erat, maluit dicere, mecum praesumens se non solum operis esse ministrum per effectum, sed & operantis quodammodo socium per consensum.

De gratia subsequente est nonnulla maior dubitatio, quia aliqui significant constituere membrum tertium diuinitatis, sed reuera nihil tale necessarium est, imò nec facile cogitari potest. Suppono autem sermonem esse de interna, & actuali gratia, nam de influentia interna maxime loquitur Tridentinum in cap. 16. ubi illa tria membra posuit. Sic ergo gratia subsequens, non est nisi adiuuans, ut subsequitur excitantem, vel quodlibet auxilium quod post aliud & ueluti ratione illius datur. Probat ex Augustino lib. de nat. & grat. cap. 31. ubi contra Pelagianos dicentes, *Nos ipsi nos ipsos iustificamus*, ait, *ubi quidem operamur & nos, sed illa operante cooperamur, quia misericordia eius praeuenit nos: praeuenit autem ut sanemur, quia, ut subsequitur, glorificemur praeuenit, ut pie uiuamus, quia sine illa nihil possumus facere*. Vbi uidetur sub gratia subsequente comprehendere omnes gratias necessarias post primam uocationem, non solum ad bene operandum, sed maxime ad perseverandum usque ad mortem. Et in idem redit, quod ait in Enchirid. cap. 32. nolentem praeuenit, ut velit; uolentem subsequitur, ne frustra velit, id est, ut possit exequi, quod uoluit, aut incepto perseverare. Ad hoc autem solum indiget homo nouis auxiliis excitantibus, & adiuuantibus; ergo illa dicuntur subsequencia respectu primae uocationis, vel primae cooperationis gratiae, quae etiam dici potest subsequens, respectu praeuia excitantis. Et ita ferè exposuit Gregor. homil. 9. in Ezechiel. in principio, dicens. *Ipsa aspirando nos praeuenit, ut uelut qui adiuuando subsequitur, ne inaniter uelimus, sed possimus implere, quod volumus*. Idem latè Fulgentius lib. 1. ad Monimum cap. 11. *Ipsa praeueniendo miser-*

4. Ratione probatur de gratia praeueniente.

De comitans

5. Et de gratia subsequente.

Tridentin.

Augustin.

Gregor.

Fulgentius

corditer incipit, subsequendo custodit. Et paulo post. *Præuenit donans homini bonam voluntatem, subsequitur, bene volentem, operando in illo boni operis facultatem.* Et concludit, *Hoc igitur ista misericordia Dei, in homine subsequitur, quod præueniens ipsa largitur.* quibus verbis, & alijs, quæ subiungit, aperte sentit, subsequencia auxilia non esse, nisi quæ post præuenientem gratiam nos custodiunt, & adiuuant ad augmentum; perseverantiam in iustitia, quæ non sunt nisi noua auxilia excitantia, & comitantia: nulum ergo nouum auxilium gratiæ per hoc tertium membrum superioribus additur.

6. Gratia dicitur subsequens ratione præcedentis.

Vt ratione hoc declaremus, aduerto, vocem illam *subsequens*, relationem posterioritatis dicere, ut per se manifestum est: potest ergo hæc relatio accipi respectu trium terminorum, quos paulo antè declaravi. Primum enim comparari potest ad præcedentem gratiam, sic tam gratia comitans, quam secunda præueniens potest rectè dici subsequens. Et de comitante videtur ita loqui Ecclesia in quadam oratione pro inter agentibus, dicens, *ut præueniente tua gratia dirigas, & subsequente comitari digneris.* nam gratia comitans, seu adiuuans semper supponit præuenientem, & ideo est subsequens respectu illius. Et ita in hac parte consentiunt etiam D. Thomas, & Theologi supra. Vnde etiam patet secundam gratiam præuenientem dici posse subsequentem respectu alterius gratiæ præcedentis, tam præuenientis, quam comitantis. Loquor autem de secunda, quia prima non potest in hoc ordine dici subsequens, quia non datur ratione alterius, in quo differt à prima comitante, quia hæc datur ratione præuenientis, & quasi consequens ad illam, ut supra tetigit.

7. In ordine ad consensum.

Secundo potest alia relatio sumi in ordine ad liberum consensum, & sic respectu vnius, & eiusdem consensu non potest gratia comitans, vel præueniens, quæ ad illum datur, esse subsequens, quia in nullo genere, aut modo est posterior, quam vsus liberi arbitrij, ut sæpe dictum est. Et in hoc sensu dixit Augustinus, non posse gratiam esse peditsequam liberi arbitrij: tamen respectu talis consensu, etiam si primus sit, reliquæ gratiæ quæ postea dantur, dici possunt subsequentes, quia sunt posteriores, & possunt dari ratione illius, quod non est inconueniens, quia illi consensus non est naturalis, sed gratuitus, quod statim magis patebit. Et eadem ratione si gratia præueniens & comitans, seu excitans, & adiuuans non comparetur ad consensum, propter quem datur tamquam propter finem, siue effectum, sed ad alium præcedentem, sic dici possunt subsequentes respectu illius. Tertio potest dici gratia subsequens respectu præcedentis meriti, vel dispositionis, quomodo frequenter loquuntur Patres, & sic constat multas gratias excitantes, & adiuuantes post primas posse esse subsequentes: nam possunt cadere sub merito supposita priori gratia, ut sæpe etiam dictum est.

8. Respectu meriti.

Ex his fit subsequens gratia non distincta, quia ab excitante.

Ex his ergo rectè concluditur, gratiam subsequentem non esse auxilium distinctum ab excitante, & adiuuante, sed illa eadem ut habentia tales respectus illis vocibus nominari. Quod ratione dialectica declarari potest, nam respectu diuersorum, potest eadem res accipere denominationes relatiuas, quasi oppositas, ut patris, & filij, prioris, & posterioris; sic ergo eadem gratia potest dici præueniens, & subsequens, & comitans, quamuis adiuuet, & excitet. Denique si considerentur effectus, propter quos dari potest gratia subsequens, non inuenitur alius modus, quo possit illos efficere, nisi vel excitando, vel adiuuando: sed istæ gratiæ actuales non dantur nisi propter suos effectus; ergo gratia subsequens actualis, & interna

non datur, nisi ut excitet, vel adiuuet, vel ad bonum operandum, vel ad malum vitandum, siue hoc consideretur in singulis actibus, & occasionibus, præsertim post primum consensum liberum, siue in ipsa perseverantia, ergo non potest esse gratia distincta ab excitante, & adiuuante, ut etiam satis constat, licet hæc diuisio trimembris videatur, nihil addere priori diuisioni auxilij in excitan- & adiuuans, ideoque nihil obitare quominus illa diuisio adæquata sit. Obiter tamen notari potest differentia inter illa membra: nam in ordine gratiarum præuenientium dari potest aliqua, quæ sit purè præueniens, quia in omni ordine prioris, & posterioris peruenitur ad primum, & proportionali modo potest dari gratia purè subsequens, quia potest dari vltima: comitans autem semper potest alios respectus participare, quia vel est subsequens respectu præuenientis, vel potest esse subsequens respectu posterioris gratiæ, quamuis respectu cooperationis liberi arbitrij sit purè comitans, vti iam explicatum est, & in sequenti capite latius dicitur. Aduerto etiam non omnem gratiam, quæ post aliam datur, dici propriè subsequentem, sed illam quæ aliquo modo ratione prioris datur: nam si nullo modo sit ab illa, vel ratione illius, non dicitur propriè subsequens, nisi forte in ratione temporis, quod est accidentarium, & non consideratur.

Præterea ex dictis inferri potest, gratiam subsequentem non dari tantum in hominibus iustis, sed etiam in peccatoribus, imò etiam in infidelibus, si ad fidem iam vocati sunt, vel aliquo modo præuerti, & cooperari incipiunt: patet facile ex dictis quia peccator per fidem potest impetrare auxilium ad patientiam petendo, & elemosynas faciendo, ut scriptura docet: ergo si tale auxilium impetrat, habet respectu fidei veram rationem gratiæ subsequenti- & eadem ratio locum habet in homine vocato ad fidem, nondum planè conuerso: nam ex præueniente gratia quæ recipit, potest concipere aliquod bonum desiderium, quo paulatim disponatur, posterius ergo auxilium, quod illi homini datur in iustis dispositionibus eius, est tunc gratia subsequens. Quin potius, ut dixi, ipsa gratia cooperans, quæ his hominibus datur, ut se remotè disponant ad gratiam, potest dici subsequens respectu excitantis, quæ præcessit, non est ergo gratia subsequens propria iustorum. Quod si interdum Augustinus, vel Fulgentius locis citatis, eam specialiter iustis attribuire videntur, non ideo est, quia alijs nullo modo communicetur, sed id faciunt ad explicandum iustitiam semel comparatam, & auxilia, quæ dantur ad illam obtinendam, non sufficere ad salutem, sed etiam ipsos iustos indigere gratiæ subsequenti- & non negant, imò à fortiori docet, eisdem auxilijs indigere peccatores, quamuis non sint illis ita debita, sicut iustis. Et ideo fortè etiam innuere voluerunt esse in iustis maiorem quam in peccatoribus, ob quam auxilia, quæ illis dantur, sint subsequencia, quia vel sunt debita, tanquam consuetudinalia gratiæ habituali, vel etiam, quia iusti possunt multa auxilia de condigno mereri.

Secundo sequitur ex dictis, subsequentem gratiam non tantum dari ad perseverandum, sed etiam ad quemcumque progressum faciendum in gratia quoti- & que modo inchoata. Hæc sequitur aperte ex præcedenti, quia ut fidelis peccator ad iusticiam vltius progrediatur, & se disponat, nouo gratiæ auxilio indiget, quod respectu fidei subsequens est, & idè est de adultis similibus. Et eadè vel maiori ratione non datur gratia subsequens tantum ad actus internos, seu ad executionem boni propositi, sed etiam ad interiores actus, & ad ipsum bonum propositum concipiendum. Probatur inductione facta, nam peccator, ut concipiat propositum penitentiae, & disponat, recipit gratiam

CAPVT XXIV.

Quomodo gratia praeueniens, comitans, & subsequens ad operantem, & cooperantem gratiam comparentur.

tiam subsequentem ad fidem, vel timorem. Et ita Trident. sess. 6. cap. 7. describens seriem, & ordinem iustificationis varios numerat actus, quorum vnus prior est alio, & ad singulos requiritur auxilium gratiae, vt constat, & ideo auxilium datum ad posteriorem actum subsequens esse potest respectu actus praecedentis. Ratio verò est, quia haec auxilia sunt, vel excitantia, vel adiuuantia, quae recipiunt illas denominationes, quoties datur ratione prioris gratiae, vel intuitu alicuius boni operis praecedentis.

Sed dicunt aliqui, praeter auxilia, quae dantur ad bonum incipiendum, necessarium esse, vt Deus etiam exterius ad executionem propositi, & consequenter ad opus externum praebet occasionem opportunam ad bene operandum, & praeterea vt auferat omnia impedimenta, nam haec merito inter gratias computantur. Ergo recte dicitur gratia subsequentem addere huiusmodi bona vltra gratiam excitantem, & adiuuantem. Respondetur in primis hoc nihil obstaré, quia loquimur de gratia interna, vt in conclusione dixi: illa autem gratia externa sunt. Deinde dico etiam ad illas gratias externas posse, & debere doctrinam datam applicari, quia preparatio opportuna occasionis ad bene operandum, licet sit gratia subsequens respectu praecedentis propositi, tamen respectu operis, ad quod datur, reuera est gratia praeueniens, quia à Deo fit sine nobis. Quo modo recte intelligitur illud Proverbior. 16. *Homini est preparare animam, Dei autem gubernare linguam.* nam illa met directio & gubernatio linguae respectu preparationis est subsequens, & respectu locutionis est prauiua, quia est solius Dei vt in eisdem verbis planè indicatur. Vnde talis gratia poterit esse excitans eo modo, quo per externa verba homo excitatur. Ac denique si homo tunc operetur, etiam potest dici gratia adiuuans, quia non parum iuvat, vel carere impedimentis ex prauis occasionibus, vel bonas habere. Igitur quoad gratias externas, nulla est hic differentia. Addo denique has gratias externas etiam ad concipiendum primum bonum propositum dari posse, & requiri, quia etiam congrua occasio exterior, & ablatio impedimenti multum conferre possunt ad bonum propositum concipiendum. Ideoque opportuna occasio audiendi verbum Dei, praeueniens gratia est, & ad excitantem pertinet, & ablatio impedimenti, quod posset idem propositum impedire, gratia est, quae tale propositum comitatur, vt fiat, ergo non est cur inter conceptionem, vel executionem boni propositi discrimen vllum constituamus.

Tandem dixi in assertione, si loquamur de gratijs actualibus, quia D. Thomas in dicto art. 3. etiam accommodat has tres voces ad gratiam habitualem, quod facile etiam fieri potest. Nam habitualis gratia quatenus à solo Deo infunditur, & praecedit actus quos elicit, dici potest praeueniens; quatenus verò simul est cum actibus quos elicit, & ad illos cum voluntate cooperatur, potest dici gratia comitans, quia liberum arbitrium in operando comitatur. Eadem verò gratia, vel quoad infusionem ratione dispositionis praecedentis, vel quoad suum augmentum quia datur ex merito de condigno, gratia subsequens dici potest. Haec verò solum est accommodatio quaedam per se probabilis, quamuis Augustinus nihil de illa tractauerit.

†
†

Questio hæc in sententia quam sequimur, nullam nouam difficultatem habet. Diximus enim gratiam excitantem & adiuuantem, cum operante, & cooperante respectiue conuerti. Vnde necesse est, vt eandem proportionem, seu habitudinem seruent ad praeuenientem, comitantem, & subsequentem. Quia verò moderni quidam aliter sentiunt, saltem de cooperante gratia, pauca de illa dicere necessarium existimauimus. Est ergo hoc tempore quorundam Theologorum sententia affirmans, non solum operantem gratiam, sed etiam cooperantem esse praeuenientem, & non simultaneous, seu comitantem, vel forrè etiam subsequentem. Vt autem intelligatur huius sententiae sensus, aduertendum est non distinguere praeuenientem, & subsequentem gratiam per comparisonem ad alias gratias, sed per comparisonem ad efficientiam, & influxum liberi arbitrij. Nam Priori modo forrè non negarent hi Doctores, posse cooperantem gratiam esse subsequentem, cum etiam gratia operans, imò & excitans (quae secundum illos est distincta ab operante, & prior illa) possit esse subsequens ad priorem gratiam, imò & ad aliquod meritum quando non est prima in suo ordine, sed aliam supponit, vt ostensum est. Loquuntur ergo per comparisonem ad influxum liberi arbitrij, cum ipsamet gratia, & sic supponunt, gratiam operantem semper esse praeuenientem, de quo nulla est controuersia. Nam licet non eandem gratiam nomine operantis intelligamus omnes, (nos enim excitantem intelligimus, illi verò praedeterminantem physicè,) nihilominus quaecumque sit, si est gratia operans, sine dubio praecedit ordine naturæ seu causalitatis consensum liberi arbitrij, quia est causa eius; ergo de gratia cooperante difficultas superest.

Addunt enim etiam gratiam physicè cooperantem in quantum cooperantem esse praeuenientem. Ita tenet P. Aluarez, & solum citat pro sua sententia Medinam 1. 2. quæst. 11. art. 2. de cuius sententia infra dicà. Probatur autè hæc sententia primò ex illo Pauli ad Philip. 2. *Deus est qui operatur in vobis, & perficere, & facere.* 26. *Omnia opera nostra operatus es in nobis Domine.* quæ testimonia sine alia inductione proponuntur. Secundò ex Gelasio Papæ epist. 5. ad vniuersos Episcopos per Picenum circa finem, dicente. *Quis autem audeat dicere Christianos aliquid habere boni sine gratia? quando magister gentium clamat, cum ita breuiter in se bona concludens. Gratia Dei sum id quod sum & gratia eius in me vacua non fuit. vt ostenderet, quia donum gratia non ipse praecesserit, sed fuerit subsequens, atque monstraret cooperationem se esse gratia subsequendo, sed plus omnibus, inquit, laborauit. Ac rursus veritas ne de se presumere videretur, adiungit. Non ego, sed gratia Dei meum. Non dixit ego, & gratia Dei mecum, sed proposuit gratiam praecedentem se, atque subiungit. Si ergo liberum arbitrium subsequitur, gratia profectò antecedit cooperando eidem libero arbitrio, quia non potest arbitrium cooperando subsequi, nisi gratia antecedit.*

L

Tertio

Quæstio ad gratia cooperans sit tantum præueniens ratione consensu liberi.

Quod etiam de gratia physicè cooperante intelligunt. Aluarez. Medino. Probat ut ex Scripturis: Gelassius.

11. de gratia subsequens aliquid ad cooperantem

Sectiones in ista doctrina

12. An hæc nomina gratie habitualis accommodantur

13. Nihil ad totam perfectionem gratia, sed quædam actum habet